



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manvscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodiêre

Complectens Sanctos Mensivm Septembris Et Octobris

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10262

De S. Senoch Abbe.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77413](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77413)

Regem Hebreum. Cùm autem intellexissent suum quoq; Regem præstantissimum,

& omni ex parte optimum Elesbaan illic occupasse regiam, properè ad eum accesserunt, & omnia, quæ gesta fuerant, exposuerunt. Ille autem præsidio reliquo in ciuitate, maxima abiit celeritate. Et cùm inuenisset Dunaan aurea illa vinclū catena, ipsum interfecit & cognatos, Deum laudans, & insultans Christi hostibus, pœnam dantibus audacium suorum facinorum, quæ admirantur in Christum, & Christi Crucem. Lætabitur enim iustus (inquit magnus David) cùm viderit vindictam. Et ideò qui ex eis

Psal. 57. fuerunt vulnerati, non fuerunt vulnerati gladio, (vt dicit diuinus Esaias) neq; mortui eorum, mortui bello. Est enim res fortis & dura, ira Dei, (ipse me rursus docet) vt grando, quæ deorsum fertur, non habens tegumentum: vt aquæ magnæ multitudo, quæ trahit regionem.

Esa. 22. Cap. 34. Apud Homeritas in Aethiopum staurarur Christiani- finis. Reuersus ergò Elesbaan ad ciuitatem Phare, omnes intererunt, qui erant in regia, & cùm vellet ecclesiam in ea ædificare, fuit ipse primus opifex ædificij. Significauit autem omnia, quæ gesta fuerant, Pontifici Alexandriae, & per illum Iustino Imperatori. Patriarcha autem Alexandriae, ordinatum Episcopum misit ad Homeritas. Qui cùm illis consecrasset templum, quod fuerat ædificatum, baptizat quidem omnes, qui erant in ciuitatibus & pagis Homeritarum, in nomine sancte Trinitatis. Ex eis autem ordinat Diaconos & Presbyteros: & ecclesijs, quæ erant in regione, reddit statum suum solitum.

Esa. 28. Cap. 35. Diuinissimus autem Rex ipse Elesbaan simul cum eo venit Nagram martyrum ciuitatem: & cùm illic extruxisset ecclesiam, & quinque possessiones regias ei attribuisset, & deinde etiam ex martyris Arethæ possessionibus tres addidisset, vt ille mandauerat in fine martyrij, & collegisset omnes, qui fuerant redacti in seruitute, & alias dispersi in tempore persecutionis, & Arethæ martyris filium Ducem gentis constituisse, & curam gesisset loci, in quo iacebant ibi consummata martyrum reliquia, & ius asyli illic constituisse, vadit iterum in regiam. Vbi cùm Homeritis Abramii quendam virum pium, & Christi nomine gloriantem elegisset Regem, & sanctissimo Episcopo ad decem milia Christianorum Aethiopum tradidisset, latus reddit in suam regiam cum præda & spolijs innumerabilibus, dans etiam exercitu non paruum pecuniae portionem.

Cap. 36. Optime rex Aethiopum monasticā virā cōpletū fuit sane arduam. Felix obitus eius. Deo autem agens gratias pro tanta victoria & gratia, volensque seipsum dignum reddere maioribus, cùm diadema quidem regium misisset Hierosolymam, ipse induit cilicio, & noctu egressus è regia & ipsa ciuitate, ascēdit in unum montem ad monasterium virorum, qui exercebantur. Et cùm se in exigua clausisset domuncula, & vovisset illinc non egredi roto tempore vita, regulam monasticam, ex ijs, quæ sunt mundi, nihil possidens præter solam storem, & poculum ad aquam bibendum, & paucō pane & aqua viuens, & oleribus viridibus, si quis afferret, cùm nullum ex mundanis vidisset tota vita, non ad aliiquid aliud mentem habens erectam, nisi ad solum Deo vacandum. Deniq; cùm diu sic se diuinè exercisset, sic etiam è vita excedit: In Christo Iesu Domino nostro: Quem decet omnis gloria, honos & veneratio, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

VITA SANCTI ENOCH ABBATIS, AVTHORE SANCTO GREGORIO TVRONEN. EPISCOPO, Lib. De vitiis Patrum, Cap. 15.

24. Octobr. Ecclési.

Valde caue da superbia pīs.



ANITAS vanitatum, dicit Ecclesiastes, & omnia vanitas. Verum est ergò, quod omnia, quæ geruntur in mundo, sunt vanitas. Vnde fit, vt sancti Dei, quos nullus libidinum æstus exussit, nullus concupiscentia exagitauit stimulū, quos nullum luxuriae coenū nec in ipsa, vt ita dicam, cogitatione tentauit, astu tentatoris elati, vīsi sint sibi esse iustissimi, & ab hoc iactantia cothurnos perflati supercilios, səpius corruerint. Factumque est ita, vt quos non valuit maiorum criminum gladius trucidare, leuis vanitatis fumus additos facile pessundaret: sicut & ipse ille, de quo nunc nobis sermo futurus est, cùm multis virtutibus

tutibus floruisse, penè in illo arrogantia barathro obrutus occubuisse, si eum non exhortatio fratrum fidelium attenta recuperasset.

Igitur beatus Senoch Pictavi pagi, quem Theiphaliam vocant, oriundus fuit, & ^{Patria S. Se-}
conuersus ad Dominum, clericusq; factus, monasterium sibi instituit. Reperit enim ^{doch.}
intrà territorij Turonici terminum parietes antiquos, quos eruderans à ruinis, ha-
bitationes dignas aptauit, reperiisque ibi oratorium, in quo ferebatur celebrem no-
strum orâsse Martinum: quod diligenter cura compositum, erecto altari, loculoque
in eo ad recipiendas sanctorum reliquias præparato, ad benedicendum inuitat Epi-
scopum. Affuit tunc Euphronus beatus Episcopus, qui consecrato altari, cum Dia- ^{Ordinatur}
conatus honore donauit. Celebratis igitur Missis, cùm capsulam reliquiarum in lo- ^{Diaconus.}
culo cuperent collocare, extitit capsa prolixior, nec recipi in loculum poterat.
Tunc prostratus Diaconus cum ipso Sacerdote pronus ad orationem, lachrymas pre-
cibus mixtas effudit, obtinuitque petita. Mirum dictu: itâ loculus diuinitus amplifi-
catus, capsulaque constricta est, vt in eum spatiostissimè non sine admiratione reci-
peretur.

In hoc loco collectis tribus monachis, Domino assiduè seruiebat, & in primis ar- ^{Magna eius}
etò vitæ tramite incedebat, exiguo cibos, & tenues potionē sumens. Diebus au- abstinētia.
tem Quadragesimæ sanctæ addebatur augmentum abstinentiæ, ciborum diminuti-
one. Nam eis illi panis tantum hordeaceus erat, & aqua, de utrisque elementis li-
bras singulas per dies singulos sumens. Rigorem verò hyemis sine vlo pedum tegmi-
ne pati contentus erat, manibus ac pedibus, simul & collo ferrea catena reuinctus.
Dehinc à fratum contemplatione semotus, solitaria se reclusit in cellula, orans assi-
duè, atque in vigilijs & orationibus die, noctuque sine ambiguitate perdurans. Con- ^{Liberalitas}
ferebat autem deuotio fidelium plerunque pecuniam, quam non in abditis loculis, ^{eius in pau-}
sed in pauperum marsupijs condecorat, illud Dominicī eloquij oraculum sèpè com- ^{peres.}
memorans: Nolite thesaurizare vobis thesaurum super terram: quia vbi fuerit the- ^{Matth. 6.}
saurus tuus, illic erit & cor tuum. Dabat enim hic, quæ accipiebat, pro Dei intuitu in
diuersis necessitatibus indigētum. Vnde factū est, vt in vita sua de his ampliū, quām
ducentos, à nexus seruitutis, debitique onere subleuārit.

Cùm autem nos in Turonicum venissemus, egressus est de cellula, venitque ad
inquirendos nos: salutatisque ac deosculatis, regressus est iterum. Erat enim (vt dixi-
mus) valde abstinenſ, sanans infirmorum languores. Sed vt de abstinentia sanctitas, ^{Arrogantia}
ità de sanctitate vanitas coepit obrepere. Nam egressus de cellula, iactantia cothur-
nota ad requirendos visitandosq; parentes, in pagum Pictauensem, cuius suprà me- ^{vito sancto}
minimus, abiit. Regressusq; tumidus arrogantia, sibi soli placere nitebatur. Sed ob- ^{imponit.}
iurgatus à nobis, & accepta ratione, quod superbì longè fiant à regno Dei, itâ se pur-
gatum iactantia, humilem reddidit, vt nulla in eo penitus radix superbiae remanceret,
ad eo vt profiteretur, dicens: Vera nunc esse cognoui, quæ beatus Apostolus sacri oris
contestatur eloquio, dicens: Qui gloriatur, in Domino glorietur. ^{1. Cor. 1.}

Sed cùm per eum Dominus super infirmos multas ficeret virtutes, & ille itâ se di-
xiſſet includere velle, vt nunquam humanis adspicib⁹ appareret, consilium suasi-
mus, vt nō se perpetuo in hac cōclusione constringeret; nisi in illis duntaxat diebus,
qui inter depositionem sancti Martini, ac Dominicī natalis solennitatem habentur:
vel in illis similiter quadraginta, quos ante Paschalia festa in summa duci abstinentia ^{Nota hic}
patrum sanxit authoritas: reliquis verò diebus, infirmorum gratia, populis se præbe- ^{antiquitatē}
ret. Audito autem consilio nostro, libenter quæ dicta sunt accepit, impleuitque sine ^{Quadrage-}
ambiguitate. Denique quia de conuersatione eius pauca prolocuti sumus, ad vir- ^{sime.}
tutes, quas per illum medicabilis diuinæ potentiae dextera operari dignata est, ac-
cedamus.

Cœcus quidam, Popusitus nomine, ad eum venit, (erat autem tunc beatus Senoch Cœcos sa-
iam Presbyter ordinatus) qui dum aliquid alimenti postulat, tacit⁹ à sancti Sacerdotis nat.
manu oculis, vt signum salutare meruit, protinus visum recepit. Alius quoque Pictauensis puer, huiusmodi mōrbo laborans, audita confessoris huius opera, pro lumi-
nis perdit⁹ receptione precatur. Non moratur ille, sed inuocato Christi nomine,
Crucem oculis cœci imponit, statimque defluente riuo sanguinis, lux intravit, ac
post viginti annorum curricula, orbata fronti geminorum siderum iubar inclaruit.
Duo pueri membris omnibus debiles, & in modum sphæræ in rotunditate contra- ^{Item duos}
cti, eius conspectibus sunt delati, quibus impositis manibus, redintegratis artubus, contractus;
Tttt vnius

vnius horæ momento vtrunque reddidit absolutum. Geminavitque deinde gemine virtutis beneficium. Puer cum puella coram eo cōtra cōsul manibus adstiterunt, (erat autem tunc medium Paschalis festum solennitatis) cumque pro suæ directionis medela Dei famulo supplicarent, & ille pro ea, quæ ad ecclesiam conuenerat, populi frequentia hæc agenda differret, indignum se clamitans, per quem Deus infirmis prebere beneficia dignaretur, supplicantibus cunctis, manus eorum suis suscepit in manibus: quibus attrectatis, directisque digitis, sanos abscedere iubet. Benia quoq; (hoc enim erat nomen mulieris) oculos deferens clausos, taclu salutaris dexteræ benedicta, illuminata discensit.

Sed nec illud oculi equum puto, quod sacerdos eius oratio virus serpentium exinanire obtinuit. Duo enim tumidi morsu hydri, eius pedibus prosteruntur, deprecatantes ut virus, quod mala bestia artibus moribundis iniecit, sua virtute discuteret. At illæ orationem fudit ad Dominum, dicens: Domine Iesu Christe, qui in principio cuncta mundi elementa creasti, & serpentem illum humanis dignitatibus æmulum, sub maledicto esse sanxisti, tu depelle ab his famulis tuis veneni huius malum, ut non angues de his, sed hi de angue valeant triumphare. Hæc autem cum dixisset, palpauit omnem compaginem corporis eorum, statimque compresso tumore, virus mortiferum nocendi perdidit vires.

Dies Dominicæ resurrectionis aduenierat, & homo quidam dum ad ecclesiæ pergeret, vidit pecorum multitudinem, suam segetem depascentem: ingemuitque, & ait: Vnde mihi, quia annualis mei laboris opera ita desperit, ut nihil prorsus ex ea remaneat. Et accepta secure, amputatis ramis, aditum sepi claudere coepit, confessimque contracta manus invita retinuit, quod voluntariè compræhendit. Dolore vero instigante, ad sanctum confessorem mœstus accessit, trahens post se ramum, quem manus constringerat, narravitque omnia, sicut gesta erant. Tunc ille oleo benedictione sanctificato, manum manu stringens, abstracto ramo, sanitati restituit. Sed & deinceps multos à serpentium morsu, & pusula malignæ veneno, signo Crucis locato desuper, reddidit soipotiti. Nonnullis autem obsessis dæmonibus, manus imposuit, exemplò fugatis dæmonibus, mentem eorum energia turbatam, ad integratatem intelligentiæ reparauit. Omnibus vero, quoque per eum à diuersis infirmitatibus dextera diuina saluauit, si inopes fuissent, ipse cibum vestitumque dispensatione hilari porrigebat. Tantaque ei cura de gentibus fuit, ut etiam pontes super alueos amnium diligenter instrueret, ne quis inundantibus aquis naufragia sua lugeret.

His ergo virtutibus clarus in populis declaratus, cum esset annorum circiter quadraginta, modica pulsatus febre, per triduum lectulo decubauit. Nunciatumque est mihi, cum transitus esset propinquus. At ego velocius illuc properans, ad lectulū eius accessi, sed nihil ab eo collocutionis elicere potui: erat enim valde fessus. Dehinc interposito quasi vnius hora spatio, spiritum exhalauit. Congregata est autem ad eius exequias multitudo illa redemptorum, quos suprà diximus ab eo vel à iugo seruitis, vel à diuersis debitis absolutos, quoque vel aliebat cibo, vel vestitu tegebat. Plancebant enim, dicentes: Cui nos, Pater sancte, relinquis? Post hæc sepulturæ locatus,

sacerdos se manifestis virtutibus declarauit. Nam trigesimo ab eius obitu die, cum ad eius tumulum Missa celebraretur, Chaidulphus quidam contractus, dum stipem postulat, ad eius sepulturam accedit: qui dum palam superpositam osculus veneratur, dissolutis membrorum ligaturis, directus est. Multa autem ibi gesta comperi, de quibus hæc tantum memoriae habenda notauit.

S A N C T O .